



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. IV. An factâ delegatione Episcopo, Vicarius se ingerere possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](#)

tur de errore commissō inscribendo falso
impedimentum, quando Papæ notum est
impedimentum verum, & in id consen-
sunt.

§. III.

An factā delegatione Vicario, possit E-
piscopus se in gerere?

113. Cum ex dictis constet, mandatum dis-
pensationis extra curiam committi loco-
rum Ordinarij, queri potest, quis hoc
loco veniat nomine *Ordinary*? respon-
detur, quod non tantum Episcopus, sed
etiam Vicarius Generalis; non autem Vi-
carius Foraneus; cum non faciat idem
Tribunal cum Episcopo, ut notat San-
chez l. 3. matr. D. 29. n. 20. Pontius l. 5.
c. 11. n. 12. Et quamvis nomine *ordina-*
ry hoc loco veniant etiam inferiores Pre-
lati, qui jurisdictionem quasi Episcopalem
habent, & nullius diocesis sunt, ac inde
affirmat Sanchez l. 8. D. 27. n. 34. de
iporum Vicariis; contrarium tamen (*de
horam Vicariis*) affirmit Corradus l. 7. c. 4.
n. 57. allegans, sic habere stylum Curiæ,
& decimū a sacra Congregat. quia horum
officium non æquiparatur dignitati; his
præmissis.

114. Ad questionem, initio §. propositam,
responso est negativa; quod verum est,
etiam Vicario mortuo, vel absente, aut ab
officio remoto; ita Sanchez cit. n. 30.
Corradus cit. l. 7. c. 4. à n. 38. quorum
fundamentum est ex stylo, & constanti usu
Curiæ, numquam alternativè litteras dis-
pensationis Episcopo, vel Vicario com-
mittentis. Unde si Vicarius, cui man-
dandum commissum est, non amplius foret
in officio, ejus executio fieri deberet a suc-
cessore, si commissio inscripta fuisset offi-
cio Vicarij, non expreso ejus nomine;
quia tunc respicit Tribunal, & non perso-
nam, adeoque delegatio non est persona-
lis, sed realis, qua transit ad successorem;
ita Sanchez cit. n. 2. & 18. Filiuc. tom. I.
l. 10. c. 10. p. 2. n. 343. & alij.
Sed, quid, si mandatum esset directum
ad Vicarium, expreso ejus nomine pro-
prio: v. g. dilecto filio *Tito*, Vicario Vien-
nensi; respondet Sanchez cit. n. 11. Bo-
nacina de Legibus d. 1. q. 3. p. 8. n. 15. si
primo loco positum sit *nomen proprium e-
ius*, delegationem esse personalē; &,

mandatum adhuc per illum, esto defini-
ret esse Vicarius, executioni mandari pos-
se; cum mandatum factum sit persona; ubi etiam not. in his partibus *Vicarium Ge-
neralem Episcopi*, & *Officialem* pro codem
sumi, sic ut sola voce differant, teste Bar-
bosa de offic. & potest. Episc. allegat. 54.
n. 53.

§. IV.

An factā delegatione Episcopo, Vicarius
se in gerere possit?

Communis responso est, in causa di- 2215.
spensationis ad *Episcopum* directā, Vicario
ejus nullam competere jurisdictionem, li-
cet alia haberet mandatum plenissimum
ad cognoscendas causas delegatas, & de-
legandas. Nam jurisdictione, quæ nec a-
etu, nec habitu competit, subdelegari non
potest, consequenter in tali mandato non
venit jurisdictione delegata aut in futurum
deleganda; sic de Justis cit. l. 1. c. 4. n. 62.
Piaficius in praxi Episc. p. 2. c. 4. n. 7. &
alij. Quod tamen intellige, quoad nu-
dum ministerium, seu ipsum actum dispen-
sandi, ut colligitur ex illa clausula: *Tuam*
conscientiam oneramus. Ex eo enim in-
ferunt ipsam dispensationem non posse sub-
delegari, eo, quod electa sit industria per-
sona. Corradus cit. l. 7. c. 6. à n. 4. Mc-
noch de arbitrar. *Jud* l. 1. q. 68. n. 2. &
alibi.

Ex hoc infertur, quod delegatus, non 2216.
obstante illa clausula, receptionem testium,
& informationem possit alteri committere,
juxta communem doctrinam, quam tra-
dit Innoc. in c. fin. de offic. deleg. quod,
quando nudum ministerium unā cum juris-
dictione committitur, non possit quidem
nudum ministerium delegari, sed tantum
jurisdictione, nimur recipiendi testes, ex-
aminandi &c. Infertur 2. ut verificantur
prædicta (nimur ea, quæ à supplicanti-
bus allegata sunt) sufficere, si delegatus
recipiat juramenta testium, & per alios,
quibus examen commisit, intelligat, pre-
ces veritate nit, modò hi sint viri inte-
græ omnino fidei, ne delegatus per
eos deceptus, cum periculo nul-
litatis, oratores dispenseat.



§. IV.